

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Gloria eterna b cum uariis

Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nichil aduersi nec a se ipso nec ab alio quisque pacietur. Premium uirtutis erit ipse qui uirtutem dedit, eique se ipsum quo melius et maius nichil possit esse promisit. Quid est enim aliud quod per prophetam dixit: Ero illorum Deus et ipsi erunt michi plebs; ubi ego ero unde sacientur, ego ero quecumque ab hominibus honeste desiderantur et uita et salus et uictus et copia et gloria et honor et pax et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur quod ait Apostolus: Vt sit Deus omnia in omnibus. Ipse finis erit desideriorum nostrorum qui sine fine uidebitur, sine fastidio amabitur, sine fatigacione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus procul dubio erit omnibus sicut uita eterna communis.

Augustinus libro XXII. de ciuitate Dei.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

qui nulli] qui nullo B; digno nulli] digno nullo B C; deferetur] defertur P V¹ V²; ullus] nullus P V¹ V² L¹ L²; esse] indignus *add. (del. sub lin.)* B; quisque] quisquam V² L¹ L²; nichil *om. (cor. in marg.)* M; possit] posse L¹ L²; aliud] quam *add.* V² L¹ L²; aliud quod] aliud quam P V¹; uictus] metus C M; intelligitur] et *add.* M; sit *om. (cor. in marg.)* M, sic P V¹; hoc] hic P V¹ V² L¹ L²